

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De tertio

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

O terque quaterque beatos nos, qui ejusmodi Domino gaudemus! Quando enim inter Scyllam & Charybdin navigamus, modò clamaverimus ad eum, nos auxilio suo non derelinquet, manus enim ejus abbreviata non est, Esa. 50. v. 2. novitque multa media pios de tentatione eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

III. Ex Petri alloquio, ad quem ait: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens: q. d. Non est quod timeas, te hic submergendum, & periturum. Ad majorem enim functionem adhibebo te. Hactenus in Galileæ mari, piscaturâ victum tibi comparasti: at propediem ablegabo te in magnum mundi mare, ubi homines capies. Hoc est: servus, præco, Apostolus & testis meus eris in universo mundo. Sic Petrus hîc consilio & voluntate Christi è piscatore fit Apostolus, è nauta concionator, è laico columna Ecclesiæ N. T. En, beatam & optatam permutationem!

Hunc morem adhuc hodiè Servator cum Ecclesia sua observat. Sæpè derelictus aliquis orphanus in juventute suâ panem propter Deum petit, rete rumpitur, navicula studiorum videtur submergi, dum nullis mediis instructus est, nemo enim hodiè ferè est, qui literas promotum sit. Tandem Christus accedit, & capientem homines eum constituit, h. e. in Ministerium verbi eum vocat, dignis donis instruit, ut Ecclesiæ suæ magnam utilitatem adferat, sicut in Augustino, Luthero, aliisque exempla prostant. Quis imperat regionibus & hominibus? Quærit Lutherus: Et respondet sibi ipsi: Pauperum filii. Erigit enim Deus de pulvere inopem, & de stercore exaltat pauperem, ut collocet eum

cum Principibus, cum Principibus populi sui, Psal. 113. v. 7.

Maximè verò hoc, Noli timere, omnes Christiani sibi applicent; Siquidem & illis dictum est: Quod vobis dico, omnibus dico, Marc. 13. v. ult.

Petrus meticulosus erat ratione peccatorum commissorum: at Christus erigit ipsum, inquiens: Nemetuas. Sic adhuc hodiè neminem in peccatis perire vult, unde vocatur Jesus, Matth. 1. v. 21.

Noli itaque animum despondere, Jesus amavit animam tuam, ut non pereas, Esa. 38. v. 17. id quod & porrò facturus est, non morietis in peccatis tuis, quæ sanguine suo expiavit, sed vives, vives inquam, ut repetitò ait, Ezech. 16. v. 6. Ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia, ut sicut peccatum regnavit in mortem; ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, Rom. 5. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Zelum populi imitare*. Id fecit turba in Evangelio, de quâ Evangelista: Factum est, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei. In Gr. est vox *ἰρμενδα*, quâ innuitur, quod ita turba Christo incubuerit, ut non haberit locum in litore subsistendi.

In V. T. quoque præclari Præcones & *θουματαγοροι* fuerunt, quos Deus aliquoties excitavit: non verò legimus, turbas in eas irruisse, ad conciones eorum audendas, ut Evangelista hîc de Servatore memorat, Quæ vero causa? Erat ipse Doctor

eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. in cuius labiis gratia diffusa, Pl. 45. v. 3. habebatque verba vitæ æternæ, Joh. 6. v. 69.

Quando veteres vim eloquentiæ depingere voluerunt, in peculiari picturâ senem proposuerunt, multa turba circumdatum, è cuius ore multæ catenulæ prominuerunt, quæ auditorum aures attigerunt, quibus illos sine resistantia perduxerit, quò voluerit, ut eum sequi cœcti fuerint.

Hoc commodè ad Christum applicari potest, qui sanè homines ad se pellexit, quasi carenis constricti essent, hinc cum Pontifices & Pharisei ministros suos ablegassent, ut Christum apprehenderent, re infectâ redierunt. Et quærentibus illis: quare non adduxerint eum? responderunt Ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hîc homo loquitur, Joh. 7. v. 46.

Atqui adhuc hodiè prædicat, præbetq; se audiendum labiis electis, Zeph. 3. v. 9. per Ministros & Præcones suos, qui verbum ejus annunciant in Ecclesia in his terris, unde etiam Ministri Christi, 1. Cor. 4. v. 1. & pro Christo legationem fungentes dicuntur, 2. Cor. 5. v. 20. qui ipsos audit, Christum audit, Luc. 10. v. 16. Qui fit igitur, ut adeò somnolenti simus, nec tanto zelo ad cultum Dei properemus? Sanè idem nobis evenit, quod vaccis, quæ bona pascuæ depascentes, reliquias pascuarum conculcant pedibus, Ezech. 34. v. 18.

Olim cum desiderio ad ædem Domini accelerarunt, jam majori desiderio ad abitum sese parant, hinc non dubiam, quin certissima Dei pœna secutura sit, eaque eò gravior, quò major verbi contemtus est. Vocavi & renuistis, Proverb. 1. vers. 24. seqq.

II. *Omnia cum Christo auspiciare.* Tale exemplum habemus in Petro. Licet eniã per totam noctem laborasset incassum, at tamen propterea non abjicit animum, sed colligit se dicens: In verbo tuo laxabo rete.

Idem & nos faciamus: Non enim homo potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, Joh. 3. v. 27. Et licet Paulus plantet, Apollo riget, tamen omnia frustranea sunt, nisi det incrementum Deus, 1. Cor. 3. v. 6.

Hoc verum deprehenditur

1. *In Corporalibus*, quæ ad corporis sustentationem & indigentiam pertinent, ut sunt cibus, potus, vestimenta &c. Homo enim non minimum gramen è terra producere valet, sed hoc omnipotentia divina est, qui vocat non modò ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom. 4. v. 17. sed etiam cuilibet seminum proprium corpus dat, ut vult, 1. Cor. 15. v. 28. & quando ipse cœlos exaudit, cœli exaudiunt terram, terra exaudit triticum, vinum & oleum, & hæc exaudiunt Jætrael, h. e. nos filios gratiæ ejus, Os. 2. v. 22. ut vinum lætificet cor hominis; nitidam faciat faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet, Psal. 104. v. 15.

2. *In Spiritualibus.* Hic iterum nihil ex nobis ipsis præstare possumus, sed Spiritus sanctus operatur in nobis & velle & perficere, Phil. 2. v. 13. supremus enim Director est omnium cogitationum, verborum & operum nostrorum, & sine ipso nihil facere possumus, Joh. 15. v. 10. Siquidem omne figmentum cogitationum cordis nostri tantummodò malum est, omnibus diebus, Gen. 6. v. 5. in carne nostra nihil boni habitat,

bitar, Rom. 7. v. 18. quin & in peccatis mortui sumus, Eph. 2. v. 4. Sicut igitur homo defunctus seipsum resuscitare nequit, ad vitam hanc terrenam : sic multò minus homo in spiritualibus ad conversionem suam quicquam conferre potest, ut rectè eum Jeremià oremus : *Converte me, & convertar : quia tu Dominus Deus meus,* Jer. 31. v. 18.

Nemo proindè in arte, robore, sapientia & eruditione suà confidat, ut fortassis Petrus fecit, qui quia peritum se piscatorem censuit, de felici successu minus desperavit : & nihil tamen cepit ; Non enim velocium est cursus, Eccles. 9. v. 11.

Es igitur *Concionator*, suggestum ad censuram ora : In verbo tuo laxabo rete Domine : sic labor tuus non inanis erit in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. Esa. 55. v. 10. & seqq.

Si *Magistratus officio fungeris*, curiam aditurus similiter ora : Domine in verbo tuo laxabo rete : sic tibi Deus Spiritum sapientia & intelligentia, Spiritum consilii & fortitudinis largietur, Esa. 11. v. 2. ut omnia prosperè geras : & subditi sub tutelâ tuâ quietam & tranquillam vitam agant, in omni pietate & honestate, 1. Tim. 2. v. 2.

Si *Mechanicus*, & ipse operas tuas incepturus ora : In verbo tuo laxabo rete, & benedictio largissima sequetur te. Nam omnia sanctificantur per verbum Dei, & orationem, 1. Tim. 4. v. 5.

Et ut paucis absolvam, quilibet cum D. Bernhardo oret : *O Domine, hac sit mea prima cura, ut te quaram mente pura,* Psalm. 127. v. 1.

III. *Socius socio opitulare.* Inter Petrum & socios ejus promptum obsequium cerni-

mus. Ubi enim tam largâ beatus est capturâ, ut minimè par sit, ad rete in navim solus pertrahendum : ecce, annuit sociis, qui erant in aliâ navi, qui propediem adsunt, & adjuvant Petrum, ut benedictionem Dei in portum perferre, & ad usum suum accommodare possit.

Discamus ab eo, ut & nos necessitatibus Sanctorum communicemus, Rom. 12. v. 13. hoc caritas Christiana requirit, quæ non in verbis saltem, sed & in operibus se exerat, 1. Joh. 3. v. 18. Jac. 2. v. 15. Ideò fideliter inserviamus proximo, maximè tempore necessitatis, ubi ope nostra indiget, Sir. 42. v. 23. *Nihil enim tam probat amicum, quam onera amici portare,* ut Augustinus ait, Et Ambrosius : *Nihil tam secundum naturam, quam juvare consortem naturæ.* Non enim saltem focii sumus, velificantes in impetuoso hujus mundi mari, ubi eandem passionem sustinemus, 1. Petr. 5. v. 9. sed sumus quoque fratres & sorores, qui unum in cælis Patrem habemus, unus enim Deus creavit nos omnes, Mal. 2. v. 10. Deindè & omnes unam habemus matrem, ex qua orimur, Eva enim est mater cunctorum viventium, Gen. 3. v. 20. & eandem matrem quæ post mortem nos in sinum suum recipit nempe terram, quæ mater omnium est, Sir. 40. v. 1. Tandem & eandem hæreditatem expectamus, nempe incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis, 1. Petr. 1. v. 5.

Promptè igitur nobis invicem, tanquam fratribus & sororibus inserviamus. Hic Petrus annuit modò, & socii ejus appropinquaverant ad juvandum. Idem ratò hodie fieri videmus : refriguit enim caritas multorû. Matth.

Matth. 24. v. 13. Quilibet sibi velificat, nihil passurus super contritione Joseph, Amos 6. v. 6. Quod si fortè cui manus porrigitur, id subindè ei exprobratur: Verùm id ipsum improbatum à Siracide, cap. 20. v. 13. seqq. & cap. 42. v. 27. Agnoscamus potius, nos pro virili proximo ad ferendum obstrictos esse: & hoc debitum nullis beneficiis, quantacunque sint,

compensari posse. Hoc qui rectè secum perpendit exprobrationis iniquæ facile obliviscetur. Cum enim feceritis omnia, inquit Christus, quæ præcepta sunt vobis, dicit: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10. Hic finem facimus, Deo sit laus & gloria in æternum,
Amen!

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 5. v. 20 -- 27.

EXORDIUM.

DE Messia prædictum est: Ipse erit quasi ignis conflans, & quasi sapo fullonum: & sedebit constans & emundans argentum, Mal. 3. v. 2-3.

In hoc vaticinio officium Messie haud inconcinnè nobis depingitur,

1. *Sub imagine fabrorum.* Ipse quasi ignis conflans. Sicut igitur aurifaber ignem adhibet, quo aurum & argentum purgat, ut à scoris separetur, ita & Servator duplici igne utitur, quando filios Levi, h. e. populum suum peculiarem purgaturus est: Primò *ignem lucis*: nunquid non verba mea sunt, quasi ignis, dicit Dominus, Jer. 23. v. 29. Utique quasi ignis, consumens ligna, scænum & stipulas, h. e. inventa hominum, quando illa Ecclesiæ obrudi volunt. Deindè *ignem crucis*, quando fideles suos in furno afflictionis excoquit, ut electos eos faciat, Esa. 48. v. 10. & fidem eorum probat, ut multò pretiosior sit auro,

quod perit, quod per ignem probatur, 1. Petr. 1. v. 7.

2. *Sub imagine lotorum*: erit enim ut sapo fullonum. Lutherus expressit: *wie die Seiffe der Wäscherin*. Sicut igitur lotrices saponem & alia media habent, quibus linteam mundant, & maculas eluunt: Ita & Christus sapone verbi sui, Pharisæicas traditiones, quibus legem depravarant & maculaverant, iterum eluit & purgavit, ut jam sciamus, non sufficere obedientiam externam, sed cor cum omnibus interioribus affectibus & concupiscentiis purgandum esse, si legi Dei satisfieri debeat. Hoc in nostris naturalibus viribus non consistit, idè de alia justitia circumspiciamus, quam Christus nobis acquisivit, qui est finis legis, ad justitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

Hoc ipsum inculcat in prælecta Pericope, ad discipulos suos inquit: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum